

/ Illustrissimo Domino Roberto Bellarmino S.R.E.Cardinali, Jacobus Gordonus.

Quae duae res (Cardinalis Illustrissime) ad vitae rationes meliores nos erudiunt: Historia, vitae magistra; et imago seculorum, Chronologia: eae mihi videntur ambae ita comparatae, ut quantum utilitatis ex ipsis percipitur, dum leguntur, tantum adsit molestiae et laboris, dum literis consignantur. Quis enim tam rudis est, qui non facile intelligat earum rerum consideratione, quas nuntia veri loquitur Historia, admirabilem lucem in mente oboriri, conformari mores, et rerum humanarum imperitos, dum aliena sic fruuntur insan-
10 nia, in reliqua vita fieri cautiores? Nimirum quid hoc est aliud quam, velut ex alta specula, eorum qui ante nos vixerunt, tristes casus et instabiles rerum vices contemplando, illustribus exemplis ad saniora consilia capessenda erudiri? Tunc vero ad hoc tantum
15 bonum accessio fit maxima, cum temporis ordinata series accedit, et annorum notatio singulorum: ex qua temporum distinctione lucem Historia tueatur suam, et utilitatem retineat nulli confusionis vitio obnoxiam. Verum res humanae fere omnes, quò excellentiores sunt, eò difficiliores esse deprehenduntur. Ita plane se habet scribendi
20 negotium quod aggredimur, et consignatio ista temporum quae sylvam rerum historicarum cum annorum notatione componit. Atque ut de ea parte, quae historica est, quam in hoc opusculo *ὡς ἐν Παροῳ* tantum attingo, nunc quidem taceam, de altera quam ex professo tractandam proposui, vere hoc dici videtur, eam sua magnitudine et difficul-
25 tate maxinorum virorum ingenia et exercuisse diu, et superasse. Non eo inficias Chronologorum quorundam vitio perplexam magis evasisse harum rerum commentationem: ex quorum diuturnis sudoribus, praeter opinionum pugnam et contentiones, vix iam aliud posteris relictum est. Sed habet etiam suas in hoc Chronologico sudore partes, suam-
30 que molestiam ipsamet de seculorum finibus disquisitio. quis enim, vel leviter in iis versatus, nescit priora illa tempora esse obscu-

/ rissima, et vix aliter quàm per immensam caliginem conspicienda
proponi. Haec verò Secula quae propiora sunt, ac pene nostra, rem
plane lubricam continere, si discutiantur, satis superque compro-
bant graviores admodum lapsus, qui apud temporum Scriptores passim
5 reperiuntur: ut nihil dicam de levioribus illis *Προχρονισμοῖς*,
μεταχρονισμοῖς, et tot falsis epocharum initiis, quae intra veros
fines tempora contineri nullo modo patiuntur. Demum, ne quid ad hu-
ius molestiae deesset cumulum, Deo de tota annorum ratione ineunda
recentioribus Chronologis placet digladiari, ut etiam cum odio ad
10 proeliandum compositi videantur. Ego certe annosas has lites ex in-
stituto non suscipio componendas: sed neque per hoc tenebricosum
iter, cursum inoffenso pede mihi polliceor. Quin potius ingenue fa-
teor, non esse humanae industriae, ut Chronologus omni difficultate
superior evadat. Quid igitur? fecisse pretium operae fortassis vi-
15 debor, si vera certaue qua diligentia, quo iudicio possum investi-
gavero: aut illa, si non semper occurrant, saltem probabiliora, ea-
que inter se consentientia protulero in lucem: ac demum, si ex tot
discrepantibus sententiis, optimas sequutus, eas brevitate perspi-
cua et conveniente methodo tradidero confirmatas. Id ego, si ad stu-
20 diosorum utilitatem hic effecero, finem quem mihi proposui, sum
consequutus. Ac de his in praesentia quidem satis.

Sed cur te potissimum (Cardinalis Illustrissime) haec compul-
lavit oratio? Nimirum istud accepti est à te beneficii qualiscum-
que recordatio. Triginta enim iam anni sunt, ex quo Romam ad theo-
25 logicas tuas et Suarii nostri praelectiones audiendas superiorum
iussu vocatus, vidi aliquoties inter tuas versari manus, et libera-
liter, te annuente, etiam perlegi quas tu Chronologicas notas in
privatum usum tibi collegeras. Et quanquam tunc quidem nec animus
mihi esset, nec otium, ad ullam earum rerum vel exiguum commentatio-
30 nem: tamen, ut prona sunt in mutationem nostra consilia, eò me post
annos aliquot impulerunt, tum illius tuae lucubrationis iugis apud

/ me et non iniucunda recordatio, tum literariae occupationes, quibus subinde distinebar, quae sine hoc praesidio dignitatem tueri suam vix posse videbantur: tandemque effecerunt, ut in hanc meditationem, (iucundamve dicam, an molestam?) conatu aliquo incumberem: et successivis horis, quantae homini satis occupato dabantur, haec, quae de re chronologica vides Syntagmata, in opusculum, labore non facili lucubratum, congererem, quod demum in conspectum se daret tuum, illa, quae recensui, agnoscens beneficia. Accipite igitur (Card. Illustrissime) hanc non ingrati animi post tot annos significationem: et quo soles sempre rem literariam, hunc etiam laborem favore proseguere.

Opus Chronologicum, Annorum seriem, Regnorum mutationes, et rerum toto orbe gestarum memorabilium sedem annumque, à Mundi exordio ad nostra usque tempora complectens. Auctore R.P. Jacobo Gordono Lesmoreo Scoto, Societatis Jesu Doctore theologo. Coloniae Agrippinae, apud Ioannem Crithium... Anno Domini M.D.CXIV. vol.1.